

OTTO SEECK  
ZUM 70. GEBURTSTAG  
GEWIDMET





## DE CATVLLI PHASELO

---

Catulli carmina quoniam et inter illius et huius aetatis eo excellunt, quod poeta quae ipse senserit felicissime verbis expressit, ut vere eos qui legant eorum participes faciat, quibus animus eius commotus sit, ut vehementissimo in Mamurram odio non minus abripiamur quam mira quadam dulcedine perfundamur, cum ipsum de amoribus loquentem audiamus, eos qui illa carmina clarius interpretanda atque eorum inter se rationes explicandas suscipere, quaecumque scripta invenirent, ad ipsius poetae res et vitam fere rettulisse consentaneum est. Velut lepidissimum atque verae vitae plenum carmen, quod est de phaselo (c. 4), priores interpretes ad unum omnes de ipsius poetae navigio quin esse censerent facere vix poterant, cum praesertim erum e Pontica naviculae patria ad limpidum quendam lacum per ea maria vectum esse legerent, per quae Catullum peracta peregrinatione Bithynica domum rediisse atque ad lacum Benacum consedissee sive ipsius poetae indicium (c. 46; 31) sive rerum probabilitate inducti sibi persuasissent. Qua in re quod ille inversum locorum ordinem sequeretur, hoc ipsum quoque cum rerum veritate bene convenire sentiebant, siquidem patriae amoenitate gavisus ille orsus ab eo loco, ubi hospitibus de phaselo quem viderent explicaret, totam viam peractam usque ad eius in Ponti montibus originem memoria deinceps recoleret atque enarraret.

Quae cum ita sint, mirum non videtur, quod etiam his temporibus, cum quantas illa opinio habeat difficultates, et acriter perspectum et graviter disputatum sit, intellegens quidam harum rerum existimator, etsi omnino prorsus alteri de eadem re sententiae assentitur, tamen denique interroget, liceatne nihilo minus de poeta phaseli ero cogitare (Magnus, Burs. Jahresb. 127. 125). — At ne unum quidem in toto carmine est verbum, quo ipse se poeta ut facere fere solet aut res suas

significet, et non semel eum aliorum suis rem carminibus egisse, quin etiam aliorum carmina Latine expressisse ipse testis est. Ac tam multa de Ponticis regionibus in illo carmine facit verba, graviterque ea loca adloquitur, ut ultro illuc potius quam in Galliam cisalpinam animi eorum qui legant advertantur. Quid quod ne fieri quidem omnino potuisse observatum est, ut quisquam nave e mari Adriatico per Padum ac Mincium in lacum Benacum perveniret. Quamquam hanc difficultatem aliquo modo solvi posse demonstratum est, quoniam credibile sit erum, quem phaselus per tot impotentia freta tulisset, Gallicos pede carpsisse campos naviculamque, quam in patria Castori dedicaturus erat, per terram novissime *usque ad* neque in limpido illum lacum vehendam curasse (Friedrich, Catulli liber p. 100).

— At ut non dicam, quam a Catulli moribus alienum sit de his rebus tacere, certe phaselum id genus navium esse didicimus, quod quo in lacubus aut rivis potius quam in alto mari uterentur aptum esset: itaque multa illa maritima itinera singulare aliquid habent, lacus mentionem facere vix attinebat neque in lacu sed ad lacum dedicationis causa positum phaselum videbant hospites. Nec tamen hanc unam ob causam de suo in patriam reditu Catullum non scripsisse hoc carmen ac limpido lacum nihil aliud esse nisi portum quendam maris Adriatici aut emporii in Graeco litore siti esse, ubi hospitio receptus amicis navem ostenderet, censuere (Westphal, Catulls Ged. Breslau 1867 p. 173). Namque priorem sane itineris illius partem eum non mari, sed per Troadem et claras Asiae urbes, e quarum numero unam eam quae novissima debebat esse nominat (v. 8) Rhodum, fecisse ipse testis est (c. 46; 101). — Rhodi igitur demum eum navem illam Bithynicam conscendisse, cum cuius ero ei de ea re olim in Bithynia convenisset, idem ille vir doctus coniecit. At ita si progredimur, certe recta via eo pervenimus, ut a Catulli illo itinere carmen omnino alienum esse existimemus. Quid enim? Animo non occupato si perlegimus, an aliud quicquam habemus nisi laudes navis quae celeritate ceteras superans maria Graeciae propinqua, quae nautis maxime periculosa atque infesta erant, incolumis praetervecta iure nobili Pontica origine (cf. Hor. C. I 14. 11) gloriatur atque, etsi fere prius deorum litoralium auxilio carere licuit, iam utpote senio confecta iis votum solvit libens merito? At si accuratius rem spectamus, etiam pluribus de illo itinere cogitare vetamur: neque enim hoc ab iis regio-

nibus initium capiebat, ubi Amastris urbs et Cyturus mons sita sunt id est e Paphlagonia, et Bithyniae nomen aut Thyniae, quae carmen 31 habet, hic frustra quaerimus, etsi illae quoque gentes propter navigationem (cf. Hor. C. I 35. 7, II 13. 15) huic carmini aptae erant. Praeterea ut non dicam quae contra Catullum utpote e Bithynia non ut speraverat magna cum pecunia sed sacco pleno aranearum reversum eundem navis optima ac firmissimae dominum prolata sunt, quoniam de paupertate sua poetas fere iocari solere constat atque illa Memmi illudendi causa, non de poetae re familiari scripta sunt, at aliquantum temporis intercessisse inter navis originem et novissimum iter atque multas illas diversissimas regiones eam non uno deinceps itinere sed per longam vitam adisse ipsa significare videtur, cum illa prius fuisse et se tunc senere dicit: tantum autem spatium inter iter Catulli e Bithynia in patriam anno fere a. Chr. n. 55 factum et eius mortem haud scio an non pateat. Neque omnino credibile est eum ex Asia revertentem non Roman, sed per Adriaticum mare Veronam aut Sirmionem primo petivisse. Quare quae de mira agendi ratione, qua Catullus navem optimam semel usus diis vovisse ac putredini permisisse videatur, Friedrich sibi persuasit, an multorum assensionem habitura sint dubito. Immo illa quae hinc illinc collegi argumenta etsi magnam vim ad persuadendum singula non habere concedimus, tamen coniuncta aliquantum valere, praesertim cum certum de ipso Catullo in carmine sit indicium nullum, facile fatemur. Nec vero poetam parvum aliquod felicis sui phaseli simulacrum vovisse atque ita omnes illas difficultates facile tolli Rieseo (D. Ged. des Cat. Lpz. 1884 p. 9) credemus: namque re vera ipsas naves peracto cursu diis vovere homines antiquos solitos esse Birtius Philol. 63 (1904) p. 454 s. similibus rebus votis et unicis quae de nave vota in illo Anthologiae Palatinae libro sunt epigrammatis (VI 69, 70) illustravit; quid quod si Procopio fidem habemus illa aetate Aeneae navem homines Romani spectabant (bell. Goth. IV 22), ut Athenienses Thesei (Plut. Thes. 23).

At nonne haec omnia in vanum disputata propterea videntur, quod eri nomen ab antiquo teste traditum Baehrensium primus docuit? Est enim apud Bernensem Vergilii scholiastam (Georg. IV 289): *phasillus ille quem agiunt auctorem esse navium caelatarum quem habuit hospes Serenus*. Ubi prima quattuor vocabula cum nostris Catulli libris consentiunt, quae

sequuntur obscura sunt, extrema nomen indicant hospitis, qui primo versu eodem vocabulo plurali significatur. Quo testimonio usus atque qua est regionum a Catullo commemoratarum scientia ac notitia ductus Cichorius (Beitr. z. alt. Gesch., Festschr. f. O. Hirschfeld, Berlin 1903, S. 467 ff.) Catullum e Bithynia in patriam profecturum Apolloniae in urbe ad lacum sita, ex quo Rhyndacus fluvius in Propontidem influit, a Sereno quodam hospicio receptum sodalibus de fatis navicalae ioci causa et ut patrono gratificaretur lepido hoc carmine narra- visse coniecit. Atqui iam Baehrensius, qui de nomine tradito non dubitaret — ac sane vocabula *Serenus hospes* difficili huic metro satisfaciunt — eum hospitem dici ab eo, qui versu primo deceptus esset, senserat, praeterea autem eum negotia- torem Italicum et Catulli popularem amicumque fuisse opinatus est, cuius rogatu in naviculam Dioscuris iam dedicatam poeta fecisset hoc carmen in sacello figendum fortasse longo ante ipsius iter Bithynicum tempore. Qui quod Iunilium Vergilii interpretem sine dubio veteribus in Catullum scholiis adhibitis hoc tradidisse censet, miror virum doctum haec sibi fingere, cui optimo iure contra dicit Birtius p. 458: neque enim quic- quam fere de Catullo veteres cognitum habuisse, nisi quod in ipsis esset carminibus, constat praeter haec tria: Valerium fuisse Suetonius Caes. 73 testis est et ex eodem Hieronymus nomina et annos sumpsit, Lesbiae falsum esse nomen Ovidius noverat, verum in indice similium servavit Apuleius, quem grammaticus quidam doctus Ovidiani Trist. II aut Pliniani Ep. V 3. 5 similem composuerat, denique Nepotem Cornelium primo carmine Catullum alloqui cum unus Ausonius vir doctus significet, fuere qui de ipsa hac re ut non satis certa dubi- tarent: ceterum de personis Catullianis ab Hauptiis Schwa- beisque potius didicimus quam ab antiquis scriptoribus. Quare etsi illud nomen e vocabulis *quem habuit hospes seu erus* errore ortum esse non admodum certo coniecit, tamen fidem nullam habere Birtius vere dixit. Nec minus vere idem hospites primo versu ex communi quodam veterum poetarum usu appellatos esse dixit et exemplis eiusdem generis qua est harum rerum scientia clare illustravit. Quam ad rem non potuit non sextum potissimum Palatinae Anthologiae librum qui habet carmina votiva, cum fructu adhibere, etsi in qua- dringentis fere illis perpauca sunt, qui vel singulas res cum Catullo communes habeant: velut illud ξείνε s. hospes quod

in sepulcralibus epigrammatis non rarum est, bis invenitur 174. 8 et 311. 1, quo accedit ὤνερ 120. 6, μάργος ὀδίτης commemoratur 199. 5 — praeterea aliquotiens res dedicata ad eum qui spectat verba facit 114. 4 τῷ προσιόντι λέγω, tabula scripta commemoratur 213. 2, quae insunt explicantur 97 λέγει δέ σε γράμματ', quin etiam donum de voventis sententia exponit 149; denique iusta colloquia perpauca inveniuntur, de quibus accuratius disputavit G. Rasche, de Anth. Gr. epigr. quae colloquii formam habent Monast. 1910, qui haec habet exempla 122, 224, 259, 351, 357, 358. Multo frequentior omnis ille usus in epigrammatis sepulcralibus, unde et originem traxit et in varias commercii inter sepultum, monumentum, vivos formas abiit.

At illa exempla si percensemus, Catullum duabus rebus ab iis discedere cognoscimus, atque ut carminis 101 exemplar prorsus simile in toto Anthologiae libro septimo qui fere 750 habet carmina sepulcralia, frustra quaesiveris, ita de phaselo voto carmen composuit novo ritu. Primum enim sive monumentum in sepulcro constitutum sive donum diis positum singulos qui praetereunt appellant, rarissime complures, itaque id quod natura fert, carminum initium quod antiquis temporibus aliquotiens scriptum est χαίρετε οἱ παριόντες (Kaibel 22, 23) inferiore aetate fere non invenitur, apud Catullum autem primo versu est *hospites*. Prorsus vero singulare est, quod is neque, ut fieri solet, erum, qui phaselum dedicavit, neque hunc ipsum dicentem facit, sed tertium quendam apud hospites de phaselo huius ipsius verbis referentem inducit: qui quasi epigramma dono votivo inscriptum et ex phaseli persona pronuntiatum — nam ipse se dedicat, non erus — hospitibus videtur praelegere et explicare. Similis est ille feminae illius Coae quae apud Herondam (mim. IV) in Aesculapi fano peregrinae amicae de artis monumentis disserit, similior illius qui Propertium de urbis Romae antiquitate docet atque porsus similibus verbis (IV 1.1) incipit: *Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est*. Namque ut huius aetatis homines, ita fere antiqui, si in peregrinam urbem venerant, aedes sacras visere quaeque ibi coacervata erant monumenta spectare solebant. Ac feliciter accidit, quod Catulli aequalis habemus non solum huius moris testimonium, verum etiam ab eo tum fuisse certum hominum genus discamus, qui illi peregrinorum curiositati satisfacerent: est enim in Verrino libro quarto 132:

*ii qui hospites ad ea quae visenda sunt, solent ducere et unumquidque ostendere, quos illi mystagogos vocant, conversam iam habent demonstrationem suam: nam ut ante demonstrabant quid ubique esset, item nunc quid undique ablatum sit, ostendunt; idemque Cicero in laudibus Varronis (Ac. I 9): nos, inquit, in nostra urbe peregrinantis errantisque tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Quid quod eadem fere aetate Cincium Mystagogica scripsisse Verrius (Fest. 363. 26) testis est. Ita ignotarum urbium monstratorem hospiti gratum esse ait Seneca (cons. Marc. 25. 2), atque aliquantum de hoc usu Lobeckius exponit Aglaophami I p. 29 sq.; sed iam Menandro licuit scribere (550 Kock): ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρᾶσταί τε εὐθὺς γενομένων μυσταγωγὸς τοῦ βίου. Ipse quidem Socrates Platonis laudat Phaedrum quod illud officium bene praestiterit (230 c) atque de illo verbo ξαναγεῖν pluribus dixit Ruhnkenius ad Tim. lex. Plat. p. 186 sq. Eiusmodi homines novorum adventus hospitem etiam explorare solitos esse, quos tota urbe circumducerent ac praestantiora quaeque demonstrarent, est apud Ambrosium, atque Lucianus (calumn. 5) eum περιηγητὴν τῆς εἰκόνοσ ἐκείνης inducit, a quo de Apellis tabula discit. Quid quod Vergilius iam Euandrum regem Aeneae in hunc morem urbem demonstrantem facit (A. VIII 306 ss.). — Ex ea igitur persona poetam dicentem audimus et ipsis primis verbis ad hanc rem animos advertit, siquidem hospites plures, ut apud templum convenire solebant, alloquitur et vocabulo quod insequitur *ait* non sua se, sed phaseli verbis explicare significat: namque omnino donum sive monumentum prima persona de se dicere constat (Geffcken, N. Jhb. 38 [1917] p. 90). Etiamsi igitur Catullum carminibus votivis ita usum esse cognoscimus ut quaecumque illud carmen de phaselo habeat in vero anathemate inscribere licuerit, tamen singulare ac novum adhibuit ad ea artificium, quod mystagogum dicentem facit. Itaque praesertim si, quae de eius carmine sepulchrali 101 supra monui, cum hac re componimus, idem fere de eius arte iure iudicare nobis videmur quod de Callimacho iudicavit Geffcken (p. 107. 1): überall wird auf Vorhandenes zurückgegriffen, um ihm eine neue Form zu geben, oft eine solche, die hinter den zierlichen Verschen das tiefe Gemüt des mit dem Ansdruck seiner Gefühle kargenden Dichters zeigt.*

Atque ut etiam altius Catulli artem cognoscamus, iam

quaerendum erit, nonne data opera illius hominis mores atque naturam expresserit: qua in re dictionem in eo carmine conspicuam iam multis admirationem movisse dicendum erit; solent enim vel hodie isti homines vanam sui opinionem prae se ferre, utpote qui omnia se explorata habere simulent. Haud scio an vel ita Charo apud Lucianum (c. 1) Mercurium alloquatur: ξεναγήσεις εὖ οἶδ' ὅτι με συμπερινοστών καὶ δείξεις ἕκαστα ὡς ἄν εἰδῶς ἅπαντα. Iam en tibi in primis versibus insolitam dicendi rationem, qua phaselus non navium se celerrimam, sed ut graecisset, navium celerrimus esse ait, deinde difficili dictione Adriam negare negat, qua antea usus ambiguos habet legentes, utrum more antiquiore Latino illa iunctura vocabulorum *neque* et *nequisse* negationem augeat an recenti tollat: licet enim et ita intellegere, ut nullius alterius navis impetus phaselum praeterire potuerit, et ita, ut phaselus omnium ceterarum navium impetum praeterire potuerit. Quanto elegantius atque luculentius easdem res Catulliani carminis certe memor Ovidius pronuntiavit, cum de sua nave, qua per mare Aegaeum vectus est, haec habet (Trist. I 10. 3 ss.):

sive opus est velis, minimam bene currit ad auram,  
 sive opus est remo, remige carpit iter;  
 nec comites volucris contenta est vincere cursu,  
 occupat egressas quamlibet ante rates,  
 et patitur fluctus fertque assilientia longe  
 aequora nec saevis icta fatiscit aquis.

Quam minus eleganti, sed quaesito artificio iam eodem animae ductu trabem natate, praeterire, volare dicit, prorsus eadem inficeta ratione qua infra, ubi est de comata silva, phaselum loquente coma sibilum edidisse. Atque cum v. 13 animo elato patria loca ipsa appellentem faciat phaselum, quam languide claudicans illud addit *ait phaselus*; priores poetae cum raro ac caute Iovem pro caelo dixissent, hic eo nomine pro vento utitur et summum deum in utriusque naviculae pedem incidentem facere non dubitat. Nolo hunc locum longius persequi, namque Catullum Alexandrinae artis subtilissimae studiosum tam ineleganter non scripturum fuisse apparet, nisi vanitatem hominis istius illustrare vellet. Quare quod eum Graecum aliquod exemplar imitatum hoc carmen composuisse coniecerunt, satis credibile est, praesertim cum inde difficile illud metrum certe petiverit, sed vel sic aliquam cum eius vita rationem intercedere probabile est, quoniam ita fere exemplaribus uti

solet (cf. 51); at quoniam hoc ne ullo quidem verbo significavit, de eo quaerere haud scio an vana sit opera.

Haec si aliqua cum ratione disputata sint, vel speciosa Cichorii argumentatio stabili fundamento carere videatur, et quoniam hospitem mentio eam, quam ille vir doctus vult, vim non habere certo demonstratum est, iam meliore iure cum illo quem initio commemoravi existimatore quaeremus, quo tandem modo phaselum Apolloniensem in Adriaticum mare vectum esse credamus. Romanum certe in toto carmine nihil inest: neque Italia commemoratur neque mare, quod Romani nostrum vocabant, nedum de Catulli patria commemoratio fiat: quidni quoniam Aegyptios potissimum phaselis usos esse testimoniis confirmatur, de illa regione naviculam in Ponto aedificatam et Aegaeum et Adriaticum mare adiisse credamus? Sed de his ariolari non licet, etsi vel in illa regione navem e mari in lacum aliquem vehi potuisse credere licet.

Castores denique quod dii navigantium tutelares invocantur, hoc Romanum non esse scimus, immo Graecus ille mos quem inde Romanorum poetae suum fecerunt (Wissowa, *Rel. u. Kult.* <sup>2</sup> p. 270 s.): una Gallia, sed Narbonensis, non cisalpina, eo cultu insignis fuit. Ita ne ex hac quidem re de loco dedicationis coniecturam facere licet. Catullum autem, id quod pluribus exposuit Smith, *Harv. Stud.* III (1892) p. 88 pro suo ingenio de longinquo et periculoso in patriam e Bithynia itinere tam non animo commotum dicere, tam non gratiam habentem naviculae, cuius erus non minus erat quam villae illius Sirmione sitae quam se gaudere iubet (c. 31. 12), tam non gratias agentem diis, quorum auxilio salvus domum reverterat, id quod redeuntes numquam intermittunt ne in comoedia quidem, haec omnia omni probabilitate carere si dicamus, non admodum ab eadem illa probabilitate nos afuturos esse spero.

Monasterii Westfolorum.

P. E. Sonnenburg.